

*Ravennae fortasse (sed locus non indicatur), semel descripta ante saec. p. Chr. nonum ab ignoto auctore, cuius apographum servavit Scaliger (de Rossi inscr. christ. 2, 1 p. 8 n. 13). — 1) Laurentis traditur.*

817 reges terrae et omnes populi, principes et omnes iudices terrae, laudent nomen domini.

Sanctae ecclesiae Hierusalem Valentinianus Placidia et Honoria Augusti votum solverunt.

*Romae in ecclesia quae dicitur S. Crucis in Hierusalem: solus descripsit Petrus Sabinus professor Romanus c. a. 1500 (de Rossi inscr. chr. 2, 1 p. 433 n. 107). De tempore tituli cf. ad N. 818.*

818

1.

sancto ac beatissimo apostolo Iohanni Evangelistae Galla Placidia Augusta cum filio suo Placido Valentiniano Augusto et filia sua Iusta Grata Honoria Augusta liberationis periculum maris votum solvent.<sup>1</sup>

2.

Galla Placidia Augusta pro se et his omnibus votum solvit

3.

d. Constantinus

d. Theodosius

d. Arcadius

d. Honorius

Theodosius nep.<sup>2</sup>

4.

d. Valentinianus

d. Gratianus

d. Constantinus

Gratianus nep.

Ioannes nep.<sup>2</sup>

5.

d. n. Theodosius, d. n. Eudocia.<sup>3</sup> d. n. Arcadius, d. n. Eudoxia Aug.<sup>3</sup>

*Ravennae olim in ecclesia S. Iohannis Evangelistae, quam votam esse a Galla Placidia matre Valentiniani III narrat Agnellus in libro quem scripsit a. 859 de vitiis episcoporum Ravennatum (c. 42; Mon. German., Scr. rerum Langobard. et Italic. p. 307), inscriptiones opere museo expressae: servavit inscriptiones plerasque libellus nescio qua aetate scriptus de ecclesia illa, una traditus cum libro Agnelli, inscriptionem etiam ipse Agnellus exhibit (XI 276). Inscriptiones quo modo dispositae fuerint per parietes ecclesiae, quaesivit Quast die altchristl. Bauwerke von Ravenna (Berol. 1842. fol.) p. 6 seq. (Dedi eam tantum partem inscriptionum quae spectat ad imperatores, omisi sententias sumptas ex bibliis sacris aliaque.) Factae sunt inscriptiones non ante a. 425, quo Valentinianus III imperator factus est, vix post a. 434, quo anno Honoria palatio expulsa est. — 1) Sic traditur. — 2) D(ivis?) Theodosius sine dubio imperator est, pater Placidiae, Arcadius et Honorius filii eius, fratres Placidiae, Gratianus et Valentinianus (II) filii Valentiniani senioris ideoque avunculi Placidiae (nam huius mater Galla fuit et ipsa filia Valentiniani senioris), Theodosius nep. fortasse est filius Placidiae ex Athaulpho (Olympiodorus ap. Photium, Müller fr. hist. Gr. IV p. 62, 26). Gratianus et Ioannes possunt esse filii Theodosii defuncti infantes (Gratianum filium Theodosii mortuum vivo patre, memorat Ambrosius de obitu Theodosii c. 24, cf. Tillemont 5 p. 492). Sed cur nep(otes?) hi dicantur, incertum. Item incertum duo Constantini qui sint. Fortasse altero loco reponendum Constantius; vix enim potest abesse Constantius maritus Placidiae, pater Valentiniani III. (Stemma propositum C. XI l. c. perturbatum est.)*